

RUINARTII NOTATIO

DE CODICE PITHEAËNO QUEM ABSOLUTA EDITIONE, IN MANUS HABUIT.

Jam finem appendici nostræ imponeramus, cum illustrissimi viri Caudii Peleteri, regni administri, beneficio evolvere licuit codices mss. Bibliothecæ *Pitheæne*; atque inter alios nobis unus occurrit, in quo præter Gregorii locum de obitu sancti Martini, sub titulo: *Serm. domini Gregorii episcopi de transitu sancti Martini*, relatum, habetur catalogus episcoporum Turonensium, id est caput ultimum Historiæ Gregorianæ, cum variis annorum computationibus quæ ibidem referuntur. At in illo codice anni a transitu sancti Martini ita numerantur, ut excepiis Guntramni annis, quos mendose singuli scripti et editi exhibent, omnes computationes probent annum cccxcvii fuisse sancti antistitis extremum. Sic quippe ibi legitur: *A transitu sancti Martini usque ad memoratum superius annum, id est ordinationis nostræ primum et vigesimum, qui fuit Gregorii papæ Romani v, Guntramni regis lxxi, Childeberti Junioris xix, anni clxlvii (id est 197). Quorum omnis summa est mmmmdcclxvii*. Sic enim omnes annorum numeri in annum dxciv conveniunt, a quo si subtrahantur anni cxcvii, habebitur annus cccxcvii, quo Martinum e vivis excessisse putamus, et auctoritate Gregorii probavimus in nostra præfatione. Hunc forte annum dxciv currentem assignavit Gregorius, quod Romam profecturus epilogum Historiæ suæ addiderit. Eo enim anno Romanum iter suscepisse creditur; æsequenti obiit, uti probat Coitinius. Cæterum Gregoriano Turonensium episcoporum catalogo subjunguntur nomina sequentium ad Landramnum, cujus tempore, sæculo scilicet nono, codex scriptus est. Hi autem recensentur hoc ordine: *Latinus episcopus, Charegisilus episcopus, Medegesilus episcopus, Sigilaicus episcopus, Rigobertus episcopus, Chrodobertus episcopus, Bertus episcopus, Guntramnus episcopus, Ibo episcopus, Gausbertus episcopus, Dido episcopus, Rangabertus episcopus, Austaldus episcopus, Eusebius episcopus, Herbernus episcopus, Joseph episcopus, Landramnus episcopus*.

SANCTI GEORGII FLORENTII GREGORII EPISCOPI TURONENSIS HISTORIA FRANCORUM EPITOMATA PER FREDEGARIUM SCHOLASTICUM.

INCIPIT PRÆFATIO GREGORII.

541-542 *Decedente atque imo potius pereunte ab urbibus Gallicanis, etc.*, ut supra coll. 1 et 2. Sic omnino habet codex Claromontanus. At Boherianus, et Ambracianus, apud Cambecium, tomo II: *Incipit præfatio Græca. Decedente, etc.* Hunc porro epitomatorem Fredegarium appello, viros doctos imitatus, qui ipsum hoc nomine designarunt. Quamvis nullum unquam codicem scriptum viderim, in quo hoc nomine fuerit appellatus. Quod idem de se ipsis testantur viri eruditi qui de rebus Franciis hoc sæculo scripsere, hunc auctorem Fredegarium Scholasticum appellantes, Jos. Scaligerum, et Freherum secuti, qui primi eum sic nuncupaverunt, ex aliquo codice ms., ut credere par est. Porro sequentem titulum *Capitolares, etc.*, ex eodem cod. Claromontano descripsimus, qui sic in Boheriano habetur: *Incipiunt capitula libri, quod est excerptum de Chronicis Græc. episc. Thoronacis*. Et ex simili, ut quidem conjicio, codice Canisius, tomo II *Lect. antiquæ Thoromacum episcopum* censet esse hujus operis auctorem, qui *Græce* scripserit. Dicitur autem liber quartus, quod inter varia chronica, quæ ille auctor in unum corpus collegit, Gregorii epitome quarto loco habeatur. De his plura in præfatione generali ad hunc tomum diximus.

543-544 CAPITOLARES LIBRI QUARTI.

QUOD EST SCARPSUM DE CHRONICA GREGORII EPISCOPI TORONACI, IN CHRISTI NOMINE FIAT.

- | | | | |
|-----|--|------|---|
| I. | De Chonis, et Agecio Patricio. | III. | De duobus Francorum tribus, et pygnis cum re publica. |
| II. | De Francorum origine et eorum regibus. | | |